

iam ibi steterat diebus tribus. Lo Dispocti cui est filius Imperatoris equitaverat contra gentem ipsius armate bene cum mille equitibus. Quid sequetur magnificentie vestre scribemus. Postquam lignum ipsius domini Alfonsi fuit consumptum per ipsum dominum Ruzerium Fuscarenum nullus de hominibus ipsius domini Alfonsi qui fuerit aparens homo venit postea Nigropontem, malis vulgaribus utuntur et peiores voluntates habent; sed speramus quod Dominus eorum desideria et voluntates malas annihilabit et destruet.

Die XVII mensis Junii presentis recepinus per *Philippum corerium* vestrum duas vestras ducales litteras duplicatas in quibus precipiebatis mihi Francisco, quod si postquam nobilis vir dominus Ruzerius Fuscarenus capitaneus galearum sibi commissarum applicuerit Nigropontem, videretur mihi quod posset ire cum suis galeis vel mittere partem eorum usque Mothonum cum mercatoribus et mercationibus earum cum salute tamen civitatis et insule, esset in meo arbitrio mittendi ipsum et non mittendi sicut viderem fore conveniens pro honore vestro et bono et conservacione de hic. Similes etiam litteras recepi per columbetum vestrum qui applicuit Nigropontem die XX istius presentis mensis Junii circa horam vespertinam. Super quibus Magnificentie vestre taliter respondeo, quod incontinenti misi litteras meas domino Ruzerio Fuscarenò qui deberet redire Nigropontem, in cuius reditu providebo facere id quod presumero potere verti in honorem vestre Magnificentie et bonum mercatorum et conservacione de hic.

Item recepinus per ipsum columbetum alias ducales litteras continentes quod una galea Januensium et alterius male gentis de qua sunt armatores et patroni Fredericus et Zen Spinola euntes in cursum ceperat in partibus Hermenie unam galeam vestrorum mercatorum de qua erat patronus *Marcus Grimani* et ipsam derobaverat et ad aliorum intendebant derobacionem: propter quod precipiebatis mihi Francisco per vos et vestra consilia quod si possem cum mea salute et terre Nigropontis, quod deberem armare et reforzare tres de galeis vel lignis quas vel que haberem hic, que viderentur sufficientiores et velociores pro negocio, et cum ipsis deberem mittere nobilem virum Ruzerium Fuscarenum per Capitaneum vel alium qui mihi videretur que deberent se pro-